

mine bimammiae, quando non racemos, sed uuas alias gerunt, item tripedanea, cui nomen a mensura 41 est, item scripula passo acino et Raetica in maritimis Alpibus appellata, dissimilis laudatae illi; namque haec breuis, conferta acino, degener uino, sed cute omnium tenuissima, nucleo (quod chium uocant) uno ac minimo, acinum praegrandem unum alterumue habens. Est et nigra Aminnea, cui Syriacae nomen imponunt, item Hispana, ignobilium probatissima.

In pergulis uero seruntur escariae appellatae : e 42 duracinis albae, nigrae, et bumasti totidem coloribus, ac nondum dictae Aegia et Rhodia et uncialis, uelut a pondere acini, item picina, omnium nigerrima, et coronario naturae lusu stephanitis, acinos foliis intercurantibus, et quae forenses uocantur, celeres prouentu, uendibiles aspectu, portatu faciles. Contra damnantur etiam uisu cinerea et rabuscula et asinusca, minus tamen caudas uulpium imitata alopecis. Alexandrina appellatur uitis circa Phalacra Idae 43 breuis, ramis cubitalibus, acino nigro fabae magnitudine, nucleo molli et minimo, obliquis racemis praedulcibus, folio paruo et rotundo, sine diuisuris.